



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1400. usque ad annum 1415 - Unacum Dissertatione  
Præliminari Ad Historiam Sæculi XV.

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 90118286**

§. 170. Pontificii Procuratoris munus a Cardinalibus Cæsari oblatum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66281](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66281)

Sæcul. XV  
A.C. 1415.

die vigesima octava Martii adhuc alia habebatur Congregatio, in qua Cardinales omni studio ac contentione hujus Sessio-  
nis dilationem urgebant. Ast Nationum Deputati Cæsaris auctoritate suffulti non minore libertate, quam nuper ipsi Cardinales atque Itali, obluctati rem eo deduxerant, ut Sessio ad trigesimam Martii diem sancita fuerit. Postmodum Cardinales isti aliud Papæ mandatum affigi jubent, vi cuius officialibus Pontificiis duntaxat usque ad Dominicam Quasimodo Constantiæ commorari indultum erat; inde factum est, ut non modica Nationum indignatio cresceret, atque Pontificis, Cardinaliumque fides Concilio magis suspecta fieret.

### §. CLXX.

*Pontificii Procuratoris munus a Cardinalibus Cæsari oblatum.*

Imperator illa, quæ Sessionem præcedebat, die Nationes convocari jubet, ut articulos in ea decidendos instruerent. Agebatur potissimum de auctoritate Concilii, ejusque continuatione, non obstante Pontificis discessu, firmanda in iis, quæ ad obtinendam schismatis extictionem & reformationem Ecclesiæ in capite & membris pertinent; simulque statuebant, omnes ejusdem Decretis refrigeran-

fragantes juxta rigorem legis puniendos Sæcul. XV.  
esse. Cardinales de his articulis edocti, A.C. 1415.  
hæc verba, *reformatio Ecclesiæ in capite*  
*& membris* deleri postulant, Papam in hoc  
puncto minime Concilio subjiciendum  
contendentes. Præterea petunt, ne Pa-  
pa, nisi de schismate aut hæresi accu-  
satus esset, coactivæ Synodi potestati  
subderetur, ac perpetuo supprimeretur si-  
lentio illa libertas, quæ Pontifici Constan-  
tiæ concessa fuisse jactabatur. Postmo-  
dum Cardinales abdicandæ dignitatis  
ejus potestatem Imperatori auctoritate  
Pontificis offerunt, ea tamen lege, ut bi-  
ni ex Cardinalium Collegio cum sacræ  
Cæsareæ Majestatis consilio, Papa  
etiam invito, Pontificatui cedere possent,  
insuper polliciti, Curiam Romanam abs-  
que Synodi judicio Constantia non esse  
abducendam, seque Sessioni postera die  
trigesima Martii celebrandæ, interfutu-  
ros, dummodo de ipsis articulis, quos sup-  
primi rogassent, nulla fieret mentio, sed  
prout in votis haberent, omnino dele-  
rentur.

### §. CLXXI.

*Papa Scaphusia Lauttenburgum  
profugiens.*

Imperator intellectis hisce conditionibus,  
se hac super re cum Nationibus in  
Francis-